



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Œcumenica Cathedræ Apostolicæ Avthoritas

Reding, Augustin

[Ort nicht ermittelt], Anno M.DC.LXXXIX.

§. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38717

DISQUISITIO II.

An, & quanta sit Summi Pontificis antecedenter ad Ecclesie consensum infallibilitas in fidei dogmatibus decidenda?

HUic questioni affinis est, quam Author de libertatibus Ecclesie Gallicana cit. lib. 7. cap. 17. in hunc modum proponit; An judicium Papæ sit infallibile, quod ei consensus Ecclesie accedat, an vero ei accedat Ecclesie consensus, quod sit infallibile?

§. I.

Quez Author ille toto libro proferebat, ed tendebant, ut ostenderetur, judicium Papæ in fidei questionibus esse certissimum, antequam accedat Ecclesie consensu, immo ideo Ecclesie consensum accedere, quia certissimum est. Etenim illa certitudo tribuitur Divinae promissioni Petro facta, aut orationi pro illo a Christo ad Patrem porrecta, aut alijs simili rationi, que indicat, Romanum Pontificem, sicut in pascendi totius gregis Christi, ac regendæ universæ illius Ecclesie officio, ita & salubris fidei ac morum pastus ab erroris veneno discernendi, & fratum adversus hæreses statu, per doctrinam a Patre cœlesti revelatam, confirmandorum privilegio successisse. Illustrissimum equidem Antitites Gallicani aliquid, & quidem eximium Summo Pontifici concedere voluerunt magnificis illis quarta propositionis verbis: In fidei quaque questionibus precipua summi Pontificis esse partes, ejusque decretta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere. Hinc ad minimum colligendum videtur, omnes & singulas Ecclesias iudicio Papæ in causis fidei stare debere, donec reformatur à Concilio Universalis, etiam nonnullum Ecclesie universæ consensus accederit. Evidem hoc pacto schismati occurrit, si modo fideliiter servetur ab omnibus & singulis Ecclesijs. Verum (quæ est hominum conditio, ac propriæ lententia studium) difficile est, ut conquiescant partes, quamdiu iudicium prolatum errori obnoxium putabunt; itaque cum difficultaria sit Concilii Generalis congregatio, perpetui dissidijs turbabitur Ecclesia. Cum autem innumerata extant exempla hærelum absque autoritate Conciliorum Generalium solo Romanorum Pontificum iudicio extinctarum, quod signum est, illud tanquam infallibile fuisse suscepimus; quorū hodie præmissa commendatione obex apponitur, ne illi, utpote reformabili, intentus præstetur assensus?

2. Nescio, an aliquod habitum fuerit Concilium Generale a primo Nicæno ad Tridentinum, quod absolutè necessarium à Catholicis judicaretur ad detegendam fidei veritatem. Neque enim ante Concilium Nicenum dubitabant Catholici; an Filius esset consubstantialis Patri; neque ante Constanti-

tinopolitanum; an Spiritus sanctus esset consubstantialis Patri & Filio, & sic de ceteris Concilijs, quæ omnia necessaria fuerunt, non quod dubium esset inter Catholicos circa fidem, sed quod frangenda esset hæreticorum pertinacia, & inquirende via ad sistendum hæretis progressum, & promovendam fidei publicationem. Itaque Conciliorum congregatio nullum arguit erroris periculum in iudicis Papæ, qua forte præcesserant: contra vero infallibilem eis certitudinem inesse, ostendit præstitus ab Ecclesia universa consensus in damnatione infinitarum propemodum hæretum absque convocatione Concilii Generalis, ut mox dicebam.

Certe si Papæ iudicium ante Ecclesie universa assensum non est irreformabile, nescio, quæ sint præcipua illæ Summi Pontificis partes, & ejus decretorum vis in omnes & singulas Ecclesias. Nam & cujuslibet, non solum Episcopi, vel Doctoris, sed etiam fidelis iudicium est irreformabile, accedente consensu Ecclesie. Cum enim Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, errori fidei contrario consentire non potest. Ne igitur inanis sit authoritas B. Petro collata, cum in primum lux fidei constitutus est Ecclesie fundamentum: ne confirmandis fratribus utilis fuerit Christi pro ejus fide indeficiente oratio; ne illius curæ commissum sit Christi ovile absque certa discretione pascorum, quæ oves impinguatura, aut infectura sint; neve transiente ad ejus successores officio, non transiisse quoque autoritatem dicamus, ut in fidei questionibus præciousas Summi Pontificis esse partes assentire licet; ejusque decreta ab omnibus & singulis Ecclesijs tunc recipi possint; neve deceptis universis & singulis Ecclesijs, Ecclesia universa (quod fieri nequit) decepta inveniatur, affirmandum videtur, Ecclesiam iudicio Summi Pontificis isto consentire, quia est infallibile, & illa non nisi certa veritati assentire potest; non illud iudicium esse infallibile, quia Ecclesia ei consentit. Prius enim est, rem esse certam, quam Ecclesiam ei consentire. Summus Pontifex est omnium fidelium Doctor, atque adeo suscipienda est ejus doctrina, quia certa est; non autem solum certa est, quia suscipitur. Ille quidem Ecclesie consensus signum est certitudinis iudicij, quia, ut diximus, Ecclesia errori non potest. At non est certitudinea, sed illam potius supponit.

Hanc esse mentem Ecclesie, quæ in toto hoc libro adduximus, iudcent argumenta. Sed præcipue, quod ex universa historia Ecclesiastica serie constet, Ecclesias omnes, omnique tempore ad Romanam recurrisse dubijs circa fidem, & ejus responsa tanquam oracula suscepisse, idque speciatim de Gallianæ testatur S. Leo Epist. 89. jam citata. Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscet, Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestra etiam provincia Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam. Et regula est ab universa Ecclesia recepta, causas fidei ad sanctam Sedem esse

XXXII

esse

esse referendas; hanc tradidit S. Innocentius I. epist. 25. seu rescripto ad Milevitaniū Concilium: *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror, omnes Fratres, & Coepiscopos non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris Authorem referre debere: renovarunt plurimi alij Pontifices, & executi sunt Antifitites, præterim, ut diximus, Galliani. Absurdum autem esset dicere, confultum fuisse Romanum Pontificem tanquam Jurisperitum, aut Doctorem aliquem privatum, cuius sententia stare, vel ulteriori examini subjicere, liberum esset consilientibus. Contra in omnibus ferè hujusmodi consultationibus fit expressa mentio permanentis in Ecclesia Romana, & in ejus Pontifice indeficientis fidei Peri. Postulabatur, ut pro ambiguitate tollendā confessio Episcoporum autoritate Sedis Apostolice firmaretur; quod docet exemplum S. Cæstrij Arelatenfis: inter epistolas Bonifacij II. epist. 2.*

S. In tota historia Ecclesiastica paucissimi reperiunt Catholici, qui solenni Papæ iudicio circa fidem testiterint, eosque omnes in errore versatos, eventus comprobavit, quod adhuc signum est, illud certissimum esse, antequam accedat Ecclesie consensus; nec nisi ad convincendam haereticorum obstinationem res iterum in Concilii tractatas fuisse, annuentibus ipsissime Pontificibus. Unde B. Augustinus, qui ut B. Cyprianum excusat, Concilium plenarium, sive generale alicubi videtur exigere, ad statuendum indubitatum dogma in alijs locis sufficere iudicium Romani Pontificis affirmat. Ita serm. 2. de verbis Apost. causam finitam esse post Romanorum Pontificum rescripta, licet nondum finitus esset error, declaravit. Verba jam alibi retulimus. Et caput 50. lib. retrationum sic inchoat: *Posteaqnam Pelagiana heresim cum suis Authoribus ab Episcopis Ecclesie Romanae, prius Innocentio, deinde Zozimo cooperantibus Conciliorum Africanorum litteris, convicta atque damnata est, scripsi duos libros adversus eos, unum de gratia Christi, alterum de peccato originali. Illa autem convictio non potest intelligi de convictione argumentorum vi facta, aut de illius heresis extirpatione, (aliоquin enim non fuisset opus, ut D. Augustinus duos illos libros postea scriberet, nec tamdiu persisteret error) sed de iudicio irreformabili. Neque auctoritate illa prædictum erat iudicium ex eo, quod accessisset Ecclesie consensus; tantum enim Conciliorum Africanorum fit mentio, qua Ecclesiam universam representare nequaquam potuerant, quam ob rem sanctus Doctor epist. 157. que est ad Optatum, damnationem prædictorum haereticorum per totum orbem tribuit auctorati corundem Pontificum, Concilii autem Episcopalibus (Africanis scilicet) solam vigilantium, ejus (heresis) vel authores, vel certè acerrimi, notissimique suafores, cum Pelagiis & Calestius extitissent, Conciliorum Episcopalium vigilantiā in adiutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus venerabilibus Antifitibus Apostolice Sedis, Papâ Innocentio, &*

Papâ Zozimo, nisi correditi etiam egerint panitia, toto Christiano orbe damnati sunt.

Animadverte hic, prolatâ Romanorum Præsulū solenni sententiâ, damnationem in toto orbe factam censi, nondum enim Ecclesie universa consensus accelerat, cum nondum constaret; an Episcopi encyclicas Summorum Pontificum litteras accepissent. Addit enim Augustinus: *De quibus exempla recentium literarum, sive quo specialiter ad Afros, sive quo universaliter ad omnes Episcopos de memorata Sede manarent, ne forte ad veltram sanctitatem nondum pervenerint, vobis curavimus mitti ab eius fratribus, quibus & has litteras, ut tuz veneratio dirigerent, dedimus.*

Dum igitur S. Augustinus B. Cyprianum excusat S. Stephano Papæ circa Baptina ab haereticis collati validitatem resistenter; et quod caula nondum fuisse a plenario Concilio definita, supponit, iudicium illud non fuisse solemnem definitionem, quo non nisi post examinatam, & agitatam cum ei, qui par est, diligentia causam profert; sine qua diligentia vel a Concilij etiam Oecumenicis questiones ejusmodi definiti posse, negat idem S. Augustinus de Baptismo contra Donatistas lib. 2. cap. 4. Quomodo enim, inquit, potest ista res tantis alterationis nebulis involuta, a plenario Concilii luculentam illustrationem, confirmationemque perdere, nisi primò diutius per orbis terrarum regiones, multis hinc disputantibus & collationibus Episcoporum pertractatae inficiantur? Apertius inmediate in capite precedenti dixerat; Ipsa plenaria (Concilia) saepe priori posterioribus emendari, cum aliquo experientia rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscatur, quod latebat. Itaque non cenebat irrefutabilia Conciliorum iudicia, nisi debitariter habuissent ad detegendam occultam, & latenter veritatem, diligentiam, quo etiam sensu accipiendo esset, sicubi videbatur invenire, iudicium Summi Pontificis non esse irrefutabile; ut scilicet intelligeretur de calo, in quo non praecessisset examen necessarium ad solemnum edendam definitionem. Quoniam non videtur Deus permisimus, ut vel Concilium Generale legitimum, vel Summus Pontifex quidquam solemniter definiant, nisi prævia discussione necessariâ ad omnitudinem certitudinem. Aliоquin enim licet, tempore illorum definitionibus dubitare, etiam si nulla vis aperta intercessisset ad eas extorquendas. Quomodo enim privati Christiani scire possent, quo, quælibet opus fuisse examine, ac utrum decisionem antecessisset?

Atque ita sensisse S. Augustinum, credendum est, nisi dicas, quod non est verisimile, ipsum solius Universalis, non autem vel Concilii Generalis, vel Summi Pontificis iudicium irreformabile putasse: quam doctrinam tradidit Panormitanus, inter Catholicos solus, quem sciām.

Non recolo modo alium ex ijs, quos Ecclesia veneratur ut Sanctos, præter Cyprianum tunc temporis errantem, Summi Pontificis iudicio circa fidem questionem repugnat.

De Infalibilitate summi Pontificis.

713

- se. Imò dum alius quis circa principalia disciplina capitā à Romano Pontifice dissentit, sequiorem partem secutus fuisse, totius Ecclesiæ iudicio compertus est. Ita v.g. referente Eusebii Eccl. hist. lib. 1. cap. 23. & 24. cum S. Polycarpus à S. Aniceto, ac postmodum alij Asia Episcopi ab alijs Pontificibus Romanis dissentirent circa diem, quo celebrandum erat Pascha, licet in favorem Asianorum, S. Joannis Apostoli, & aliorum Sanctorum traditio, imò Evangelium ipsum allegaretur, prævaluit iudicium Summorum Pontificum, Pascha die Dominicō celebrandum statuēnum, sententia Asianorum decimā quartā lunā, quoconque die accideret, sive Dominicō, sive alio illud celebrantur, plenimque Concilijs, etiam primo Generali Niceno decreatum est, Pascha die Dominicō fieri debere.
10. Non tamen usque ad Ecclesiæ consensum in Concilio Niceno, ac in alijs prædictis suspensiis est vis iudicij Romani Pontificis. Nam, ut verbis Eusebii ex antiqua versione utar; Victor, qui tam Romanæ Ecclesiæ præterat, totius Asia Ecclesiæ cum alijs finitimi, tanquam alterius fidei, & opinionis, simul omnes (ut complebar bievi) a communitate Ecclesiæ amputare conatur, & in eos per litteras graviter invenitur; atque omnes fratres eam incolentes regionem, profus à communione secludendos edicunt. Tantum aberat, ut S. Victor decreti sui validitatē necessarium crederet Ecclesiæ universalis consensum, ut plurimas Ecclesiæ invitatas ad consensum illum cœnantes compelleret. Licet autem alia Ecclesiæ, que Victori circa diem celebrandi Paschatis consentiebant, centuriarum usum contra tot Ecclesiæ Orthodoxas non probarent; autoritatem tamen non negabant, ut videtur est apud Eusebium loco citato, ubi de sancto Ireneo Episcopo Lugdunensi nominatim sic scribit; Ireneus quamquam per litteras scriptas ex persona fratrum in Gallia, quibus præterat, tradit mysterium Resurrectionis Domini solo die Dominicō recolendum quidem esse: Victorem tamen de hoc, videlicet nem multas Ecclesiæ omnino propter traditionis ex antiqua consuetudine inter illas usurpatam observationem à corpore universæ Ecclesiæ penitus amputat, cum pleaque alia, tum ista, que sequuntur, appositi, & convenienter admonti &c. Nota haec verba: A corpore universæ Christi Ecclesiæ penitus amputat, quæ aperte significant Romani Pontificis in universam Ecclesiæ autoritatem. Non enim Victor ab illarum Ecclesiæ communione solus recedebat, sed eas ab universo Ecclesiæ corpore sequebatur. Sicui forte nimius videretur ejus Pontificis erga tot Ecclesiæ rigor pro re ad fidem saltem proxime non spectante, causas legerit apud Baronium ad annum 198. rigorem illum tunc temporis necessarium fuisse, ostendentem.
11. Sed ut redeamus ad quæstiones fidei, hereticis, & schismatisbus via panditur in tanta congregandarum hodie Synodorum Generalium difficultate, & tam modica inter diversarum, vel etiam inimicarum ditione.
12. & nationum Praesules communione, nisi iudicium Romani Pontificis tanquam certissimum suscipiendum sit. Quam ob rem consultus est, modernorum Antistitutum Gallicanorum declarationem postponere sententia aliorum multo plenum, qui non ita pridem, & consulendam laetam Sedem in quæstionibus fidei, & ejus effectis internum animæ obsequium debet, etiam antequam Ecclesiæ universalis consensus accelerat, tam aperte declaraverant, ut eorum mens nullis argutiæ nebulis possit obscurari. Sic enim legimus in litteris Octavianæ quinque Episcoporum Gallia ad Innocentium X. anno 1653. scriptis. Majores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides petri nunquam deficiens perpetuè retineri prouidebat. Equisima huic legi obsequentes, &c. vides hic, ius esse Romani Pontificis in fide Petri nunquam deficiente fundatum, ut maiores cauila ad eum referantur. Audi jam, quanta sit ejus decretorum vis & efficacia, Experta est nuper Beatitudine vestra, quantum Apostolice Sedis in gemini capituli errore pressigando valuerit auctoritas. Continuo sedata est tempesta, atque ad Christi vocem venti, & mare obedierunt. Non esse autem necessarium reliquorū Episcoporum consensum, ut illis decretis Christiani omnes, ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur, docent alia litteræ à 30. ex iij. Episcopis, reliquis absentibus, scriptæ eidem Pontifici 19. Julij eodem anno; Non solùm ex Christi Domini pollicitatione Petro facta, sed etiam ex actis priorum Pontificum, & ex anabematismis adversus Appolinare, & Macedonum, nondum ab illa Synodo Oecumenica damnatos, à Damaso paulo ante Iactis iudicia pro sanienda regula fides a Summis Pontificibus lat. super Episcoporum consecratione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illi celibuterit) Divinæ æquæ, ac summa per universam Ecclesiam auctoritate nitit: cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare teneantur. Ed nos quoque sententia, ac si de imbuti, &c. Licet autem hic Episcoporum sententia mentio fiat, tamen præterquam, quod eam exprimi, non esse necessarium, declarat, de Episcopis tantum consulentibus est termino, quorum nomine non intelligitur Ecclesia; quippe cum vel singulares, vel aliqui provinciae, aut regni, non totius urbis Anitutes simul sanctam Sedem consultant. Unde circa finem epistole addunt Praesules Gallicani: Porro nos Innocentio X. cuius ore Petrus loquutus est, ut Leon I. acclamabat quartam Synodus, hanc Dipinam lauream gratulari, sacros inter Ecclesiæ fastos, quod olim de Synodis Oecumenicis fieri solitus; constitutionem istam ab eo editam habentes ex animo reponemus.

Eadem fuit antiquorum Gallorum sententia, ut jam probavimus, & adhuc probari posset. Epistola sex Episcoporum ad Innocentium II. anno 1140. scripta inter S. Bernardi epistolas 370. sic incipit: Nulli dubium est, quod ea, quæ Apostolicæ firmantur auctoritate, rata semper existunt, nec alienus possunt deinceps miseriæ cavillatione, vel inuidiâ depravari. Eam

proprietate

XXXIII

propter ad vestram Apostolicam Sedem, Beatisime Pater, referre dignum censuimus quædam, que nuper in nostra contigit tractari præsentia. Que quoniam & nobis, & multis Religiosis, & sapientibus viris rationabiliter acta visa sunt, vestre serenitatis expellant cœmprobari judicio, simul & autoritate perpetuò roborari.

13. Potho Presbyter Prumiensis de statu domus Dei lib. 3. Hoc namque privilegium, inquit, B. Petro Apostolorum Principi cœlesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti Patres cum magna veneratione suscipientes, atque sanctam Romanam Ecclesiam servantes; tam in Generalibus Conciliis, quam & in ceteris scripturis, & gestis suis, universalem Matrem appellaverunt, & sicut ejus documenta in confirmatione fidei, & eruditione sacra Religionis, ita ejus etiam judicia suscepserunt in hoc consentientes, & quasi uno spiritu, & una voce concordantes, omnes majores res, & præcipua negotia, nec non omnium Ecclesiastarum judicia ad eam quasi ad Matrem & Caput debere referri, ab ea nusquam appellari, judicia ejus à nemine retrahendi, aut refelli debore, vel posse.

14. Praiverat illi ejusdem Monasterij Abbas Regino, qui longè antea scriplerat in Chron. ad annum 857. quod jam supra retulimus; scilicet stultitia quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse, arbitrati sunt, quæ nec se fecerit, nec ab aliqua heresi falli potuit.

S. II.

Referuntur ac expenduntur fundamen-ta Adversariorum cum responsionibus,
& conclusione super ijs
reflexivâ.

ARGUMENTUM I. Adversariorum.

Petitum ex necessitate Conciliorum Oecumenicorum ad consummatam in rebus fidei decidendis infalli-bilitatem obtundendam.

15. Si namque solus Pontifex obtineret hanc infinitabilitatem prærogativam, ita ut absque ullo erroris periculo posset fidei controversias ultimatae definire, Concilia sanè Oecumenica vel inutilia forent, vel saltem non necessaria ad dirimendas circa fidem controversies, cuius tamen contrarium exhibet praxis sanctæ Ecclesie, secundum quam ipsius etiam Pontifices, nec non Imperatores, una cum totius Christiani orbis Episcopis, noscuntur nullis pepercisse seu laboribus, seu impensis, ut in eum finem celebrarentur Concilia Oecumenica.

Responsio.

- A uthor de libertatibus Ecclesie Gallicane cit. lib. 7. cap. 14. à n. 2. respondet, distinguendo in primis inter utilitatem Conciliorum Oecumenicorum, & eorundem necessitatem ex ipsa natura rei, de qua agitur, vel ex conditione hominum, de quibus tractatur, resultantem. Neque vero in dubium vocati potest, Conciliorum præteritum Occume-

nicorum utilitatem esse permaximam, neque ambigere licet, esse necessaria ad frangendam hæreticorum pertinaciam; sed utrum ad judicium omnino modum & consummatum in rebus fidei certitudinem ijs opus merito hic penitenda occurrit quæstio. Autore expensa,

In primis igitur, cum Summus Pontifex in rebus fidei decernendis tenetur eam im-pendere curam, & solicitudinem, quam requiri negotij gravitas, & patitur rerum status, non Scripturas duntaxat, sed traditio-nes scrutando, nulla profectio est convenien-tior assignanda veritatis ratio, quam si totius orbis Christiani Episcoporum sententia requiratur, ac singularium Ecclesiastarum tra-ditiones, & singularium Pastorum sententia inter se conferantur. Itaque quantum com-mode fieri potest, non eis prætermittenda ea inveniendæ veritatis via, quæ utinam tem-per præfatio esset. Illam suo exemplo pri-mus Pontifex Petrus præmonstravit.

Etenim quamvis B. Petrus, cum loco proditionis Iudea substituendus esset alios, qui Apostolico fungetur officio, potuerit cum eligere; tamen præ humilitate ac prudencia non solum aliros Apostolos, sed etiam reliquos fidèles congregatos, electionis partici-pes efficit; ut obliterat S. Iohannes Chrysostomus hom. 3. in ad. Apol. ubi post hac verba: Viri fratres, oportet eligere e nobis; addit: Multitudini permitti iudicium, simul eos, qui illegebantur, reddens reverendos, & si quis liberet ab invidia, similitateque, que poterat à causa eboriri. Nam & semper ingenui gigni nati. Et infra: An non licet ei eligere libera, & quidem maximè. Verum id non facit, ne cu-videtur gratificari.... Ceterum sententiam ipse proutulit, sed hanc quoque declarans, sicut sia esse, sed e supernis projectam, juxta Proprium. Itaque recitator fuit, non præceptor.

Natura pares nos gignit; peccatum ad ambiendum præ alijs, & in alijs, in Principatum impellit: ut etiam inter Apostolos fuerit contentio, quis eorum videtur esse maior, quod dissidium noluit Christus compondere, assignato unicuique suo ordine, sed postea præscripta humilitatis formam, ut quisque ab alteri se supponere contendere. Qui major in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessisti, fi-cut ministrator Luca 22. v. 26. Quam ob rem excepto Petro, quem alii præpoluit, nullum inter eos potestatis discrimen confitit. Itaque ut levius sit subjectionis ac obedientiae jugum, communis concordia, ac regimini lauitati expedit, ut rectores, qui propriæ autoritate efficere possent, communis subditorum consilio exequantur. Nihiliqui mirum, si in Christi familia, in qua pax summa & humilitas tantò profundior, quando quis altiori eminet dignitate, vigere debet, Romanus Pontifex cum fratribus suis, com-muni intentiâ, quoties, & quantum commo-dè potest, graviora Ecclesiæ negotia gerere studeat, etiam si solus posset.

Prætereà, qui ad Concilia accedunt, vel fideles sunt, vel hæretici: si fideles, introuen-tur non tantum de veritate, que forte ipsi